Anchar. num. 2. Domin. num. 5. Franc. nu. 5. & 6. Idem Anch. d. clem. Si Roman. nu. 2. Imola ibi nu. 6. Boniſ. nu. 15. Felin. cap. ad aures, nu. 7. caſ. 1. de reſcript. & ibi Decius in nova edit. n. 30. Berojus num. 39. Rebuf. in concord. t. De forma mandati apoſtolici, in clauſula, motu proprio, in 6. 7. & 10. effectib. quos hæc clauſula non operatur, Alex. de Nevo c. Quia circa, nu. 8. fin. de conſang. Milis in ſuo repert. lit. G. num. 3. v. Grat. verſ. Grat. motu proprio, Selva benef. 3. p. q. 12. n. 17. Sylveſt. v. Reſcr. in q. 6. Staph. de litteris gratiæ, tit. de vi & effectu clauſul. in hac clauſula, effectu 5. nu. 2. Menoch. de arbitr. l. 2. cent. 3. caſ. 201. n. 81. 82.

50 Secundo tempera; niſi taciturnitas illa jus tertii reſpiciat, ut ſi ſit beneficium jurispatronatus, & hoc taceatur. Sic Abb. cap. ad aures, num. 5. de reſcr. & ibi Felin. multis citatis nu. 80. Et proponit hæc exempla alios referens, ut ea clauſula non faciat impetrantem præferri primo, niſi de illo fiat mentio. Nec tollit ſtatuta. Nec ſi de ſtatutis mentionem faciat, tollet ſtatuta particularia, nec præjudicat unioni factæ, & per Ordinarium, etiamſi nondum effectum ſortita ſit. Quia motus proprius jus in re vel ad rem alteri quæſitum minime aufert, ut docent Decius conſ. 47. num. 32. vol. 3. Rebuf. in concord. tit. de forma mandati apoſtolici, in clauſula, Motu proprio, in 9. effectu, quem non operatur, Milis in ſuo repertor. lit. G. n. 3. v. Gratia verſ. Gratia, motu proprio.

51 Tertio limita, niſi qualitas intrinſeca beneficio taceatur. Tunc enim non valet gratia, non ob vitium ſubreptionis, ſed quia non apparet de concedentis voluntate. Sic Abbas cap. ad aures, num. 5. de reſcript. Rebuf. num. præced. allegatus, in 5. effectu, quem non operatur clauſula, motu proprio, Menoc. de arbitr. l. 2. cent. 3. caſ. 201. n. 80.

52 Secunda concluſio. Quoties ſubreptio contingit in falſæ cauſæ expreſſione, non ſupplet clauſula motu proprio hanc ſubreptionem. Ratio diverſitatis eſt, Quia quando tacetur veritas, ignoratur an Pontifex bene vel male informatus gratiam motu proprio conceſſerit, & ideo non poteſt dici conceſſa contra ejus mentem. At cum falſa cauſa exprimitur, cognoſcitur animus concedentis, ac ultra ejus intentionem gratia comparatur. Cum tamen motus proprius non firmet gratiam contra concedentis intentionem, ut tradunt Jo. Andr. c. Si motu proprio, n. 1. de preb. in 6. Suar. alleg. 13. nu. 2. & multi quos refert ac ſequitur Menoch. de arbitr. l. 2. cent. 3. caſ. 201. nu. 80. Non ergo motus proprius ſubreptionem hanc ſupplet. Atque ita docent Abbas circa, num. 7. de conſang & ibi Alex. de Nevo n. 8. Præpoſ. n. 4. verſ. Sed de diſpenſ. Felin. Cardinali relato, c. ad aures, n. 9. caſ. 4. de reſcr. & ibi Decius in nova edit n. 32. Berojus n. 39. Selva benef. 3. p. q. 12. n. 25. Rebuf. citatus n. 50. in 2. effectu quem non operatur ea clauſula, Staphil. de lit. gratiæ tit. de vi & effectu clauſularum, in clauſula Motu proprio, effect. 7. n. 3. Roſe l. v. Reſcriptum, in fine, & ibi Sylv. q. 7. Armilla n. 4. Tabien. q. 5. n. 4. Menoch. d. caſ. 201. n. 83. Temperant hoc Felin. & Rebuf. quando cauſa illa falſo non expreſſa concederetur difficilius gratia, ſecus ſi ita facile. At non eſt opus ea limitatione, quia quando ea falſitas non eſt cauſa finalis diſpenſationis, ſed ea vere expreſſa, concederetur adhuc, licet multo difficilius, non eſt ſubreptitia gratia, (ut n. 32. probavi.) Et ita ſive apponatur clauſula, motu proprio, ſive non erit valida. Quare melius Abbas Alex. de Nevo, Præpoſ. Roſell. Sylv. Armill. Tab. proxime alleg. explicant ut motus proprius non ſuppleat hanc ſubreptionem, quando non explicata ea cauſa falſa, Princeps non concederet eo modo quo conceſſit.

SUMMARIUM.

An ſubreptio tacendo votum aut falſum exprimendo contingens in una parte reſcripti totum vitiet, proponitur c. Super litteris, de reſc. quod anſam dubitandi præbet, n. 53.

An is textus intelligatur de ſolis litteris juſtitiæ, an etiam gratiæ, 54.

Ignorantia & ſimplicitas an ſint idem in eo textu, 55.

Subreptio tacendo verum aut falſum exprimendo, quando eſt cauſa totius reſcripti, an totum vitiet, licet per ignorantiam contigerit, 56.

Quid, ſi a ſollicitatore vel curiali commiſſa tantum ſit, 57.

An curialis, ſollicitator, aut ſcriptor committens hanc facultatem incurrat excommunicationem, & quas alias pœnas, 58.

An taciturnitas ex ignorantia probabili vitiet in foro conſc. 59.

Explicatur c. Gratia, de reſcript. in 6. 60.

An ſubreptio tacendo verum, aut exprimendo falſum, quando fuit ſolius partis reſcripti cauſa finalis, totum vitiet, 61.

Quid, ſi ignorantia ſit craſſa, 62.

Quid, ſi a negotio, circa quod commiſſa eſt ſubreptio non doloſa, pendeant alia negotia, 63.

An privilegia vitientur per ſubreptionem non doloſam, 64.

An ſubreptio tacendo verum, falſumve exprimendo, contingens per fraudem & malitiam, vitiet omnino reſcriptum, etſi non ſit cauſa totius, 65.

An ab hac pœna excuſet ignorantia quantumvis craſſa, 66.

An locus ſit huic pœnæ, quando parte ignorante curialis, aut alius dolum admiſit, 67.

An in dubio præſumatur dolus, an ignorantia, & qualiter illa probetur, 68.

Proponitur triplex decidenda difficultas circa cap. Super litteris, de reſcript. 69.

An ſi reſcriptum contineat plura ſeparata, vitientur omnia ſubreptitia doloſa in aliqua parte commiſſa. Refertur opinio, 70.

Proponitur ſententia Auctoris, 71.

An diſpenſatio voti caſtitatis & alterius vel duplicis impedimenti ad matr. ſit omnino ſubreptitia allegata vera cauſa circa unum, falſa vero circa alterum, 72.

An ſubreptio verum tacendo, aut falſum exprimendo, quando doloſa eſt, ſi non ſit circa cauſam finalem, vitiet totum. Refertur opinio, nu. 73.

Proponitur ſententia Auctoris, 74.

An hæc pœna irritationis totius reſcripti ob ſubreptionem in parte ejus admiſſam inducatur ipſo jure. Refertur opinio, 75.

Proponitur ſententia Auctoris, 76.

An eadem pœna incurratur in foro conſcientiæ, ante ſentent. judicis. Proponuntur ſuadentia partem affirmantem, 77.

Explicatur ſententia Auctoris, 78.

Rediguntur in ſummam contenta in tota diſpenſatione, 79.

53 QUæſtio ult. An ſubreptio tacendo veritatem ſive exprimendo falſitatem, contingens in quadam ſola reſcripti parte, totum vitiet? Totius dubitandi rationis anſam præbet c. Super litteris de reſcrip. ubi differentia conſtituitur inter impetrantem tacita veritate, & impetrantem expreſſa falſitate per ignorantiam vel ſimplicitatem & impetrantem per fraudem vel malitiam, ut hic fraudem illam aut malitiam admittens, in ſuæ perverſitatis pęnam nullum ex iis litteris commodum conſequatur: De illo vero qui per ſimplicitatem aut ignorantiam impetrat, diſtinguit ſic textus; ſi talis expreſſa ſit falſitas, aut veritas ſuppreſſa, ut licet fuiſſet falſitas tacita, aut veritas expreſſa, nihilominus tamen in forma communi litteræ eſſent datæ, validæ erunt ad eum effectum, ut poſſit in forma communi juris, non tamen juxta formam in litteris oppoſitam, procedi. Si autem litteræ nullo modo eſſent datæ, erunt prorſus irritæ: Hoc deciditur in eo textu, qui valde difficilis eſt, & ſatis confuſe explicatur a DD. At quoad præſens attinet, nitar charitate ac brevitate qua potuero explicare: ſupponendo prius clariora, ac deinde quæ dubia, breviter diſputando.

54 Supponendum eſt 1. quamvis textus hic de ſolis juſtitiæ litteris loquatur, ac proinde eum, uti pęnalem, ad litteras gratiæ non extendi poſſe quiſpiam exiſtimaret: commune tamen DD. placitum eſſe, intelligi etiam de quibuſcumque gratiæ litteris. Quia ſi hoc habet verum in litteris contentioſis, fortius in gratioſis. Cum ſubreptio magis vitiet litteras gratiæ quam juſtitiæ, quippe illæ ſunt ipſo jure irritæ, hæ autem ope exceptionis irritandæ (ut diximus n. 3.) Atque ita docent Anton. eodem c. Super litteris, n. 27. Abbas n. 2. not. 1. Felin. n. 5. Barbat. n. 25. Berojus n. 1. lectur. n. 4. & 39. & in 2. nu. 61. 62. idem Abbas cap. ad audientiam, el 2. n. 14. de reſcript. & ibi Felin. 22. verſ. Tertio amplia, Barth. Socinus conſ. 164. nu. 2. & conſ 273. ad fin. vol. 2. Gutier. q. canon. l. 2. c. 15. n. 45. Quamvis alii non omnino hoc admittant in litteris ad beneficia,

55 Secundo ſupponendum eſt in eod. c. Super litteris, ignorantiam & ſimplicitatem ſumi pro eodem: & ſimiliter fraudem & malitiam. Ut bene allegato Card. Florentino docet Imola ibi n. 4. Quamvis Jo. Andr. n. 11. aſſerat ſimplicitatem dici quando eſt ignorantia juris: ignorantiam autem, quando eſt facti.

56 Tertio ſupponendum eſt, quando ſubreptio contingit in cauſa finali, qua, ſcilicet, non exiſtenti, reſcriptum minime concederetur (hanc enim ſolam vitiare, tanquam probabilius ſuſtinebo n. 74.) eſtque cauſa totius reſcripti, quia, nimirum, aut reſcriptum unicam ac indiviſibilem partem continet, aut ſi duas partes claudat, ſubreptio in cauſa utriuſque finali contingit, atque ideo illa non exiſtente, nec totum, nec pars reſcripti concederetur, nullum verſari diſcrimen, ſive per ignorantiam, ſive ſimplicitatem, aut per fraudem, ſive malitiam ſubreptio contigerit, tacendo veritatem, aut exprimendo falſitatem. Nam in utroque eventu litteræ erunt omnino ſubreptitiæ. Id conſtat ex d. c. Super litteris, ibi: *Si vero per hujuſmodi, &c.* ubi textus agens de veritate ſuppreſſa, aut falſitate expreſſa per ignorantiam ſive ſimplicitatem, quando ea ſubreptio eſt cauſa totius reſcripti, ſic ait. *Si vero per hujuſmodi falſitatis expreſſionem vel ſuppreſſionem etiam veritatis litteræ fuerint impetratæ, qua tacita vel expreſſa, nos nullas lit. dediſſemus, a delegato non eſt aliquatenus procedendum.* Idem probatur ex c. Conſtitutus de reſcr. ubi deducitur impetrationem beneficii contra ſtatutum Eccleſiæ, ne certus numerus excedatur, non facta illius mentione, eſſe ſubreptitiam. Cum tamen poſſet probabiliter ignorari hoc ſtatutum. Et ratio hujus eſt, quia in valore gratiæ conſiderando non ſpectatur impetrantis culpa, aut ſimplicitas, ſed intentio concedentis, a qua vires ſumit gratia. Ergo quando concedens expreſſa veritate, aut non propoſita falſitate nullatenus concederet, corruet omnino conceſſio defectu intentionis concedentis quantumvis impetrans fuerit culpæ immunis. Et confirm. quia tunc ea cauſa eſt finalis totius reſcripti. Ergo ea exiſtente falſa, corruet totum tanquam cauſa deſtitutum. Nam etiam quando a principio fuiſſet validum exiſtente cauſa finali vera corrueret ſuperveniente ejus cauſæ ceſſatione (ut dicemus diſput. 30. n. 14. Et ideo ita docent Abbas d. c. Super litteris, n. 4. & 6. & d. c. Conſtituimus, n. 1. notab. 2. & cap. ad audientiam, el. 2. n. 14. & c. Sedes, n. 14. de reſcript. Felin. d. c. Super litteris n. 6. & ibi Decius in nova edit. n. 8. not. 3. idem Felin. d. c. ad audientiam, n. 22. verſ. Tertio amplia, Franc. c. Si eo tempore, n. 4. de reſcr. in 6. Bella. dec. 4. n. 1. Bar. Socin. conſ. 263. ad fin. & conſ. 164. n. 2. vol. 2. Corn. conſ. 227.

Videtur prima facie n. 9. vol. 2. Tiraquel. tr. Ceſſante cauſæ in princ. n. 116. Pelaez de majoratu 1. edit. 1. p. q. 9. n. unico.

57 Hinc deducitur primo, non eſſe tenendum, quod docet Bart. Soc. conſ. 270. Conſideratis, ad fi. vol. 2. nempe quando ſubreptio non commiſſa eſt ab eo, cui reſcriptum impetratur, quia veritatem narravit, ſed ab alio, ut a curiali vel ſolicitatore, qui vel falſum expreſſit, vel veritatem ſibi propoſitam conticuit, ignorantiam partis impetrantis excuſare, ne reſcriptum ſit ſubreptitium. Et refert Rotam dixiſſe, ſic deciſum eſſe ab Urbano Papa in beneficialibus. Et ait jura loquentia in beneficialibus extendi a Doctoribus ad alias Principis gratias. Idem ſuſtinet Felin. c. Super litteris n. 7. verſ. Demum, circa prædicta de reſcript. Ceterum hoc non eſt tenendum. Quia ratio tradita n. præc. nimirum, attendendam eſſe intentionem concedentis, quæ deficit, quoties eſt ſubreptio circa cauſam finalem æque procedit, quando ipſemet impetrans commiſit generaliter ſubreptionem, vel alius eo inſcio. Id probatur ex c. Si motu proprio de præb. in 6. ibi: *Secus ſi ad petitionem illius vel alterius pro eo oblatam.* Et ſuſtinent ibi Anch. n. 2. notab. 3. Francus n. 3. Decius reprobans prædictam Rotæ dec. d. c. Super litteris, in nova edit. notab. 3. num. 9. Cordub. ſum. qu. 45. opin. 1. punct. 1. ratione 1. In quo autem ſenſu poſſit ſuſtineri quod priores Doctores aſſerunt, dicemus num. 67.

58 Curialis autem aut ſolicitator, aut reſcriptor, qui ut facilius diſpenſationem impetret, mutat narrationis ſubſtantiam, manet excommunicatus per motum proprium S. Pii V. Sic Enriq. lib. 12. de matrimonio c. 3. n. 7. fi. At hoc non eſt verum. Quia is motus proprius nullam excommunicationem imponit: ſed ſolum decernit ut pœna falſarii plectatur, ut bene Manuel 1. to. ſummæ 2. editione c. 238. fine. Vega 1. to. ſummæ c. 88. caſu 4. Et loquitur ille motus proprius de procuratoribus tam officii ſacræ Pœnitentiariæ, ſeu contradictarum, quam aliis quibuſcumque ſolicitatoribus, ſeu ſcriptoribus, quos Copiſtas vocant, qui veritatem facti a narratione, quam a partibus habuerunt, quoad ſubſtantialia, & qualitates neceſſario exprimendas diverſam faciunt, ſeu quoquo modo invertunt, aut immutant, depravantve.

59 Secundo deducitur, non eſſe credendum Navarro lib. 1. conſ. in 2. editione tit. De filiis presbyt. conſ. 2. n. 4. dicenti poſſe defendi ſaltem in foro conſcientiæ taciturnitatem ex ignorantia probabili excuſare a ſubreptione. Et in 1. editione eo lib. 1. cit. De reſcrip. conſ. 1. n. 6. ait taciturnitatem ex ignorantia conſurgentem non videri nocere per cap. Gratia de reſcript. in 6. Sed id non eſt univerſaliter verum, ſed quando ignorantia non eſt cauſa totius reſcripti, ut ſtatim dicemus, & ad cap. Gratia reſpondebimus, n. ſeq.

60 Contra hanc tamen doctrinam fortiſſime urget textus, c. Gratia de reſcript. in 6. ubi impetrans beneficium a Papa tacito alio quod ſibi abſenti ac ignoranti Ordinarius contulerat, poteſt utrumque retinere, ſi ſint compatibilia, ſi autem incompatibilia, poteſt eligere. Et redditur ratio his verbis: *Cum tempore impetrationis neſcires.* At ſubreptio commiſſa eſt tacito beneficio, quod erat exprimendum, c. Si motu proprio de præb. in 6. Ergo ſubreptio per ignorantiam commiſſa minime nocet. Diverſimode reſpondent DD. Quidam ajunt diſpoſitionem hujus textus eſſe ſpecialem in eo caſu, & ideo ad alium non eſſe trahendum, juxta l. Jus ſingulare ff. de legibus. Sic Joa. Ant. eo. c. Gratia nu.... Alii impugnata hac expoſitione reſpondent, diſpenſationem illius textus poſſe trahi ad alios caſus concurrentibus quatuor conditionibus. 1. eſt, ut adſit tam juſta ignorantia, qualis eſt quæ ab abſentia conſurgit. 2. ne præjudicetur juri jam alteri quæſito. 3. ut qualitas tacita per ignorantiam ſit talis, ut ſi fuiſſet expreſſa, Princeps ſimiliter conceſſiſſet, quamvis non ita facile. Ultima, ut gratia ſic conceſſa non trahatur ad cauſam penitus extraneam. Sic Abb. c. Super litteris n. 5. de reſcr. ibi Felin. n. 6. Menochius de arbitrar. lib. 2. centuria 3. caſu 201. a n 52. uſque ad 55. Alii explicant, ut deciſio ejus textus ideo procedat, quia ſubreptio in eo caſu procedit a juſta & multum tolerabili ignorantia: & poterat reduci ea diſpoſitio ad terminos juris communis, ideſt, attento jure communi idemmet diſpoſitum erat, quod gratia concedit. Secus ſi ad eos terminos reduci non poſſet. Sic Ant. d. c. Super litteris, n. 27. Rebuff. c. Nulla art. 2. ſtatim in princ. concl. 5. de conc. præb. & in concordatis, ubi de forma mandati apoſtolici, paulo ante clauſulam, Motu proprio, v. Limita tamen. Sed hanc ſolutionem impugnat Abb. proxime allegatus. Quia in terminis illius c. Gratia, conceſſio non reducitur ad juris communis terminos, ſed eſt ultra ſeu contra jus commune. Quia attento jure communi impetrans ſecundum curatum, tacito primo curato, quod obtinebat, amittit primum, nec ſibi datur optio, c. De multa, de præbend. Clem. Si plures, eo. t. Sed expoſitio illa Antonii eſt optima, & bene defenditur a Berojo eod. c. Super litteris, in 1. lectura n. 41. ut intelligatur quando gratia poterat reduci ad terminos juris communis non ſimpliciter, ſed ad terminos juris communis antiquioris, & tunc ſubreptio ex ignorantia tolerabili non vitiat. Quod hic contingit, nam attento jure antiquiori, c. Referente, de præb. ſi impetrans 2. beneficium incompatibile tacebit 1. id non vacabat, ſed dabatur ei electio. Quod poſtea immutatum eſt per c. De multa, de præb. decidens eo ipſo vacare primum. Atque hujus deciſionis ea eſt ratio. Quia res facile ob juſtam cauſam ad jus primævum reduci poteſt, l. Si unus §. Pactus verſ. Quoties ff. de pactis. Item, quia non dicitur in totum falſum, quod primordiis veritatis juvatur, l. Cum filius, §. Hæres meus, ff. de legat. 2. Poteſt etiam alia expoſitio tradi, ideo ignorantia in eo caſu c. Gratia, juvat, ut litteræ ad beneficia non ſint ſubreptitiæ. Quia impetrans non habet jus in re in priori beneficio, utpote quod ſibi abſenti ac ignoranti collatum erat, Si tibi abſenti, de præb. in 6. ſed tantum jus ad rem. Et ideo ſubreptio ex tam juſta ignorantia non vitiat. Quia ut vitiet, debet eſſe taciturnitas beneficii quantumvis modici jam poſſeſſi, licet ex ignorantia taceatur. Et ita procedit c. Si motu proprio de præb. in 6. Sic Berojus eo c. Super litteris in 1. lectura n. 42. Rebuff. in concord. ubi de forma mandati Apoſt. paulo ante clauſulam. Motu proprio verſ. Vel poteſt dici. Et hæ duæ ultimæ expoſitiones præ ceteris placent.

61 Quarto ſupponendum eſt, quando ſubreptio per ignorantiam ſive ſimplicitatem admiſſa, ſive tacendo veritatem, ſive explicando falſitatem, non fuit cauſa finalis totius reſcripti, ſed partis illius, quia explicita veritate non concederetur ea reſcripti pars, at reliqua concederentur, utique non vitiari totum reſcriptum, ſed eam ſolam partem, in qua eſt ſubreptio. Verbi gratia, impetravit quis reſcriptum contra debitorem ſuum, aſſerens ex ignorantia de conſuetudine patriæ cauſas tractari ſimpliciter & de plano, cum tamen id falſum eſſet. Quare Pontifex commiſit cuidam cauſam ſimpliciter, & de plano tractandam, litteræ valebunt quoad commiſſionem illi judici factam, & virtute illarum poteſt delegatus procedere in forma communi, at non valebunt quoad ſpecialem illum procedendi modum. Et ratio eſt, quia ſubſtantia illius reſcripti eſt ipſa juriſdictio, forma autem accidentalis eſt ille procedendi modus ſpecialis, quem Pontifex delegato conceſſit. Cum ergo ſubreptio abſque dolo contigerit, fueritque cauſa ſolius formæ, quæ a reſcripti ſubſtantia poteſt ſeparari, ipſam ſolam formam vitiabit. Hoc expreſſe deciditur, c. Super litteris de reſcript. Et ita tradunt omnes. Et ſic intelligunt aliqui, c. Si eo tempore, de reſcript. in 6. ubi deciditur, reſcriptum ad beneficium, ſive cum cura, ſive abſque illa obtentum, tacito defectu legitimæ ætatis ad curatum, cum tamen legitima eſſet ad ſimplex, validum eſſe ad obtinendum beneficium ſimplex, non vero curatum: intelligunt enim hunc textum, quando ea ſubreptio fuit ex ſimplicitate aut ignorantia. Et ita conciliant hunc textum cum d. c. Super litteris. Hi ſunt Abb. eo. c. Super litteris n. 5. & c. Sedes n. 2. de reſcrip. ubi Felin. n. 2. Francus d. c. Si ea tempore n. 4. Gutier. q. canon. l. 2. c. 15. n. 45. Sed de hac expoſitione dicemus n. 71.

62 Nomine autem hujus ſimplicitatis aut ignorantiæ intelligo quamcumque, quantumvis craſſam, modo non ſit ingens temeritas. Ut n. 66. probabo.

63 Hoc tamen ſuppoſitum eſt primo limitandum, niſi a negotio, circa quod commiſſa fuit illa ſubreptio non doloſa, dependeant alia negotia tamquam acceſſoria: tunc enim, etiamſi in his non ſit ſubreptio, corruent pereunte principali. Sic Abb. c. Sedes n. 4. de reſcript. & ibi Felin. n. 2. Francus c. Si eo tempore n. 4. eod. t. in 6.

64 Secundo limitant quidam, ut intelligatur in his litteris gratioſis aut beneficialibus, ſecus in privilegiis, quæ aſſerunt per ſubreptionem etiam non doloſam vitiari indiſtincte. Nam cum privilegium ſit lex privata, concedens intendit præciſe privilegium concedere. Sic Ant. c. Super litter. 2. n. 25. de reſ. Sed merito id reprobat Felin. eo. c. Super litt. n. 5. limit. 3. Quia litteræ beneficiales, & privilegia in hoc differunt. Quippe Pontifex præciſe etiam intendit conferre beneficium. Item quia cum litteræ ad beneficia ſint valde ſtricti juris, ſi per ſubreptionem partis illarum non doloſam minime vitiantur totæ: a fortiori nec privilegia, & ideo hac ratione ductus Abb. eo. c. Super litteris n. 5. in pr. ait hoc habere locum in litteris beneficialibus, & privilegiis. Item quia Innoc. c. Cum dilecta n. 3. de reſcr. æquiparat privilegia, & litteras beneficiales in materia ſubreptionis.

65 Quinto ſupponendum eſt, quando ſubreptio fuit per fraudem vel malitiam, vitiari omnino litteras, quamvis ea non fuerit cauſa totius reſcripti, ſed ſolius formæ ſpecialis. Hoc expreſſe deciditur c. Super litt. de reſcr. conſtituto hoc diſcrimine inter litteras ſic impetratas, & quando per ignorantiam impetrantur, ibi: *In ſuæ perverſitatis pęnam nullum ex illis litteris commodum conſequantur,* & cap. Sedes, in fine eod. tit. ibi: *Mendax precator careat penitus impetratis.* Quæ eadem verba habentur, l. Et ſi legibus 5. c. Si contra jus. Et fatentur omnes, (quod qualiter intelligatur a n. 70. videbimus.) Et hoc abſque dubio intelligendum eſt, ſive ea ſubreptio malitioſa contigerit falſum exprimendo, ſive verum tacendo. Quia expreſſis verbis idem de utraque ſubreptione diſponitur, d. c. Super litteris, ibi: *Si qui priori modo falſitatem exprimunt, vel ſupprimunt veritatem, in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum conſequantur.* Et ita docent Abb. ibi n. 1. notab. 2. Imola n. 6. Barbatius n. 24. Decius in nova edit. n. 4. notab. 1. & d. c. Sedes n. 14. notab. 4. Quare caute intelligendi ſunt ipſemet Abb. eo. c. Sedes n. 4. Tiraquel. de pœnis temperandis, cauſa 44. n. 41. dum conſtituunt diſcrimen inter ſubreptionem, falſum exprimendo, & tacendo verum, ut in priori caſu corruat omnino reſcriptum in mendacii pœnam: ſecus in poſteriori. Et rationem reddunt, quod non ſit ita odioſus tacens verum, ſicut exprimens falſum: potuit enim taciturnitas ea ex ignorantia procedere. Sed Felinus eod. c. Sedes n. 2. adverſus hanc rationem inſurgit. Nam etiam falſum poſſet abſque dolo exprimi, & verum quoque ex dolo taceri. Unde intelligo, prædictos auctores (ne credatur illos ita abſurde locutos contra textum expreſſum d. c. Super litteris) ſenſiſſe tantum, magis præſumi dolum ex falſi expreſſione,

ne, quam ex veri taciturnitate: cum illa frequentius ex dolo procedat. At si vere utraque ex dolo procedat, idem de utraque est dicendum.

66 Existimo autem quantumvis crassam ignorantiam, & simplicitatem, modo non sit ingens temeritas, excusare ab hac pœna irritationis totius rescripti, ratione subreptionis in altera ejus parte: itaque ut locus sit huic pœnæ, desideratur, ut impetrans sciens, & prudens malitioso animo id faciat. Quia textus *d. c. Super litteris*, expresse petit fraudem vel malitiam. At taciturnitas ex quacumque ignorantia, & similiter expressio falsi ex illa, non potest dolosa ac malitiosa nuncupari, nisi ingens temeritas in ea ignorantia reperiatur. Ut latius probabo l. seq. disp. 32. n. 36. & 39.

67 Neque erit locus huic pœnæ, si cum pars verum proposuerit, ipsa ignorante, curialis vel solicitator sciens, & prudens subreptionem commiserit, tacita veritate, aut expressa falsitate. Ducor, quia *eod. c. Super litteris*, dicitur impetrantem in suæ perversitatis pœnam nullum ex litteris commodum consecuturum. At verus impetrans in nulla culpa fuit. Ergo non debet ea pœna affici, ut litterarum commodo prorsus careat, sed de illo judicandum est, ac de impetrante per ignorantiam. Atque in hoc sensu verum est quod ait *Navar. l. 3. consil. in 1. edit. t. De regularibus consil. 78. n. 3. in 2. l. 1. t. De rescript. consil. 15. n. 3.* nimirum, narrationem falsi factam per solicitatorem non videri tanti momenti, quanti factam per ipsammet partem. Et in hoc etiam sensu verum erit, quod n. 57. retulimus ex *Rota & aliis* afferentibus non nocere parti relationem falsam solius curialis vel solicitatoris: id enim verum est, ne vitiet totum rescriptum, quando totius non est causa: secus quando esset causa totius, ut ibi diximus.

68 Sed quæres an in dubio præsumatur hic dolus? Consulendi sunt *DD. eod. c. Super litteris*, & maxime *Felin. ibi num. 5.* Et breviter placet in dubio non præsumi hunc dolum, sed potius ignorantiam, atque illum opponenti incumbere probandi onus. Ut docent *Gl. d. c. Super litteris, verb. Priori modo & ibi Host. n. 7. Imol. n. 5. Berojus in 2. lectura n. 70. & citatis Baldo, Tiraq. & aliis Pelaez de majoratu in 1. edit. 2. p. q. 8. fi. & q. 9. fi.* Præsumetur autem dolus (ut bene ajunt *Gl. ibi, verb. Nullatenus*, in fi & latius *ibi Abbas n. 7. Berojus proxime allegatus*) ex variis circumstantiis. Et ita ad hoc judicandum spectabit judex, an ille dixerit falsum in proprio facto, an in alieno: & an factum sit proximo, an longinquo tempore gestum, ut vel sic præsumatur scientia: & an litteræ sint magni an modici momenti. Et bene docet *Rebuff. praxi benef. 1. differentiæ inter rescriptum gratiæ, & justitiæ n. 25. differ. 8.* facilius præsumi dolum in litteris gratiæ quam justitiæ. Quod hæ multo facilius obtineantur, & ideo non sit opus uti dolo ad eas impetrandas. Probabitur autem hæc ignorantia impetrantis juramento ipsius, nisi esset verisimile ipsum habuisse notitiam. Ut de probanda ignorantia diximus l. 1. disp. 02. fine. Et sic docet aliis citatis. *Rebuff. in concordatis, in forma mandati Apost. paulo ante clausulam, motu proprio, vers. Et hæc ignorantia.*

69 His præmissis, triplex quod ad præsens attinet versatur difficultas circa intellectum *d. c. Super litteris, de rescript.* quando impetratio fuit per dolum, & malitiam, sive tacendo verum; sive exprimendo falsum: I. est, an intelligatur, quando partes ejusdem rescripti sunt omnino separatæ, itaut in pœnam committentis dolosam eam subreptionem, circa alteram solam rescripti partem, vitietur quoque altera pars? II. an ea subreptio dolosa, ut totum rescriptum vitiet, debeat esse circa causam finalem, eam tacendo, vel falso exprimendo, an potius sufficiat circa causam impulsivam? III. an ipso jure subreptio hæc dolosa vitiet rescripta justitiæ, & gratiæ?

70 Circa 1. difficultatem quidam sentiunt textum *eod. c. Super litteris*, intelligi etiamsi rescriptum contineat plura separata: quippe omnia vitiabuntur per subreptionem dolosam in altero commissam. Sic docent *Abbas ibi n. 2. Barbatius nu. 25. Berojus 1. lectura n. 7. & 8.*

71 At verius est, non intelligi quando partes ejusdem rescripti sunt omnino separatæ, sed solum quando altera gratiæ pars connexionem habet cum altera: quia eamdem causam eumdemque finem respiciunt: tunc enim solum subreptio dolosa in una parte vitiabit aliam. Prob. quia hæc irritatio est in pœnam doli, & malitiæ (ut expresse dicitur *eod. c. Super litteris*) Ergo non est extendenda ultra casum in eo textu expressum. Qui est, quando impetratur unum rescriptum diversa continens, quorum unum connexionem habet cum altero: quia pertinet ad eamdem causam decidendam. Ut constat ex exemplo quod subjunximus n. 61. ex mente Doctorum. Item quia cum diversæ gratiæ absque ulla connexione in eodem rescripto conceduntur, sunt virtute duo rescripta, ac omnino per accidens, & materialiter unum. Nil ergo confert subreptio circa unam gratiam, ad alterius irritationem. Item quia *c. Si eo tempore, de rescript. in 6.* cujus decisionem retuli n. 61. hanc partem probare videtur, ibi enim sunt diversæ gratiæ, & omnino separatæ, & ad diversos effectus, nimirum altera ad beneficium simplex, altera ad curatum, & ideo subreptio circa unam minime vitiat alteram. Nec jure probatur, sed ad libitum dicitur intelligi eum textum, quando subreptio fuit per ignorantiam. Ut eum volunt intelligi DD. aliqui, quos n. 61. allegavi. Et ideo hanc sustinent sent. ita intelligens *id c. Si eo tempore*, Decius *d. c. Super litteris, in nova edit. notab. 1. n. 7. & 18.*

72 Hinc deducitur, si in eodem rescripto impetret quis dispensationem voti castitatis, ac peregrinationis Jerosolymitanæ, allegata scienter falsa causa circa alterum votum, vera autem circa alterum, non vitiari dispensationem circa utrumque sed circa illud, in quo causa falsa fuit. Quia sunt dispensationes omnino separatæ. Secus si duplicis impedimenti ad nuptias dispensatio in eodem rescripto obtineretur, ut voti castitatis, & consanguinitatis, nam subreptio dolosa in altero vitiabit totam dispensationem. Quippe cum sit rescriptum ad eamdem causam, eumdemque finem respiciens, quoad utramque partem censebitur prorsus unum. Sic enim ponderavit *Decius n. præc. allegatus*, ad dijudicandum, an unum sit rescriptum, vel potius duæ partes separatæ. An hoc autem sit ipso jure, & in foro conscientiæ ante judicis sententiam? dicemus n. 76. & 78.

73 Circa 2. Difficultatem n. 60. propositam, quidam sentiunt taciturnitatem veri, vel falsi expressionem dolosam circa causam impulsivam unius partis rescripti, vitiare totum: & ita intelligunt textum *d. c. Super litteris de rescr.* Et prob. nam loquens textus de fallitatem exprimente, vel supprimente veritatem per fraudem, indistincte decidit nullum ex eis litteris posse illud commodum assequi. At postea agens de eo qui per ignorantiam distinguit, an talis sit causa circa quam fuit subreptio, ut ea non tacita, sed vere expressa, adhuc litteræ concederentur, & nunc dicit valere quoad eam partem, quæ concedenda foret: secus si talis sit causa, ut illa vere expressa nullatenus litteræ concederentur. Ergo in priori parte indistincte intelligitur textus, sive causa sit finalis, sine qua non, sive solum impulsiva. Alias nullum esset discrimen inter utrumque casum. Et pro hac sent. aperte sunt *Gl. eod. c. Super litteris verb. Nullatenus, & ibi Innoc. ſtatim in pr. Jo. And. n. 22. Imola n. 2. Barbatius n. 24. Decius c. Sedes, in nova edit. n. 14. notab. 4. de reſcr.* dicunt enim corruere rescriptum, quando est dolus, sive alias Pontifex esset concessurus litteras, sive non. Quia hæc distinctio (inquiunt) adhibetur in textu, quando litteræ per ignorantiam impetratæ sunt. Ejusdem sent. videtur aperte *Bellamera dec. 4. n. 1.* ubi ex duplici capite reddi posse rescriptum subreptitium ex falsi expressione: altero, quia induxisset ad concedendum: altero vero, quia per fraudem. Sentit ergo aperte, quando fraus intercedit; non spectandum esse an falsi expressio induxerit Principem ad concedendum. Ejusdem videtur expresse *Sylv. verſ. Reſcriptum q. 6. & 7. init.* ubi absolute docet gratias & privilegia vitiari tacita veritate, vel allegata falsitate scienter: & ſtatim loquens quando ignoranter, dicit tunc vitiari, quando Princeps cognita veritate non concessisset. Eamdem tenent in propriis terminis *Cord. ſum. q. 45. opin. 1. pun V. immediate ante 3. rationem*, ubi loquens de matrimonii dispensatione, ait dispensationem non valere, quamvis causa scienter falso narrata, vel vera scienter tacita, sit minus principalis, & sine qua Pontifex vere prorsus dispensaret: per *d. c. Super litteris*. Cujus sententiam refert *Giuttier. q. can. l. 2. c. 15. n. 134.* & dicit esse verissimam.

74 Sed re attentius considerata existimo juxta diversas sententias diversimode loquendum. Quia retenta opinione citata nu. 10. & 13. dicente taciturnitatem causæ impulsivæ, ejusve falsam expressionem vitiare gratiam, dicendum est vitiari totum rescriptum ex subreptione circa causam impulsivam partis illius. At retenta nostra sent. citata n. 17. & 32. dicente solam subreptionem circa causam finalem, sine qua litteræ non concederentur, illas vitiare, sentiendum est quantumvis malitia, & dolus adsit in tacenda veritate, vel exprimenda falsitate solius causæ impulsivæ, totius vel partis rescripti, nil ipsius vitiari. Atque ita intelligitur *d. cap. Super litteris*. Itaque solum dispensationes, & cetera rescripta subreptitia censentur, quando sive ignoranter, sive dolo, est taciturnitas veri, sive expressio falsi in causa finali, qua sublata Pontifex non concederet litteras, aut si concederet, non tamen eodem modo, sed moderamina quædam adhibendo. Et tunc si ea subreptio tacendo verum sive exprimendo falsum contingat in causa finali totius rescripti, & ita totum rescriptum afficit, vitiabit totum, (ut probavi n. 56.) sive per fraudem, sive per ignorantiam contingat. Si autem accidat circa solam rescripti partem, tunc distinguendum est, si per ignorantiam, sola pars rescripti, quæ ea subreptione afficitur, vitiabitur: si autem per malitiam, vitiabitur totum [quod intellige juxta dicta n. 41. quando allegantur plures causæ, nam quando una sola allegatur, nil refert an sit finalis, an impulsiva, ut ibi explicui.] Quare differentia, quam textus *d. c. Super litteris*, constituit, cui innititur contraria sent. ubi absolute & indistincte loquitur textus, quando adfuit dolus, at quando ignoranter, cum distinctione an litteræ concederentur, necne: eo solum pertinet, ut quando adest fraus circa partis rescripti causam finalem, vitietur indistincte, & omnino rescriptum, tam quoad partem inutilem, id est, quæ seclusa ea subreptione non concederetur; quam quoad alteram utilem, id est, alias concedendam. At quando fuit ex ignorantia, pars sola inutilis vitiatur. Itaque in priori parte, nimirum, quando fraus intervenit, jure optimo non distinxit textus, an ea fraude seclusa pars litterarum esset concedenda, qui ea contingente circa solam rescripti partem, ubi est in causa finali, corruit totum, quamvis altera rescripti pars subre-

subreptione cessante foret concedenda. At in posteriori parte sub sermo est de subreptione ignoranter admissa circa causam finalem, opus fuit distinctione, an subreptio sit circa causam finalem totius rescripti, vel solius partis. Quia si sit in causa finali totius, corruet totum: si solius partis, illa sola corruet. Et ita totus ille tex. *d. c. Super litteris*, de subreptione veritatis suppressæ, vel falsitatis expressæ loquens, agit de sola causa finali, sine qua litteræ non concederentur, vel totæ, vel pars illarum. Ducor, quod totus ille textus agat de taciturnitate veritatis, vel expressione facultatis causæ conducentis ad valorem rescripti. Cum de hac subreptione loquatur, eam ponderans ad valorem vel nullitatem rescripti. At causa impulsiva non est hujusmodi, sed sola causa finalis, juxta veriorem sententiam. De sola ergo subreptione circa causam finalem agit. 2. Quia textus, quoad hoc æquiparat prorsus malitiam, & fraudem in tacenda veritate, vel exprimenda falsitate. At tacens veritatem, quam explicare non tenetur qualis est juxta veriorem sent. circa causam impulsivam, nequit jure optimo fraude vel malitia notari. Hæc enim culpam & sane non levem implicant: cum tamen nulla sit in eorum taciturnitate, quæ quis explicare non tenetur. Et confir. quia licet in mendacii expressione delictum sit, at si non contingat circa causam conducentem ad rescripti valorem, non afficitur id delictum malitia speciali mendacii ratione rescripti, in quo contingit. Sicut mentiens in confessionis Sacramento circa rem non necessario detegendam in eo, reus est mendacii simplicis, at non mendacii ad confessionem attinentis. Sicut ergo hoc mendacium non vitiat confessionem: ita neque illud debet vitiare rescriptum. Et ideo hujus sent. est *Berojus 3. cap. Super litteris, in 2. lectura, n. 53.*

75 Ultimum dubium est. An hæc pœna irritationis totius rescripti ob subreptionem dolosam in parte illius inducatur ipso jure: atque ita litteræ justitiæ sic subreptitiæ, quas alias non ipso jure ob subreptionem irritari divimus n. 3. sint dicendæ ipso jure nullæ, quando subreptio fuit dolosa? Pars affirmans suaderi videtur, quia *cap. Sedes, in fi. de reſcript. & l. Et ſi legibus, C. ſi contra jus*, dicitur hunc mendacem impetratorem debere penitus carere impetratis. At dictio, Penitus, importat ipso jure, *cap. fi. cum ibi adnotatis, de pœnis*. Et docent aliis citatis *Decius cap. Caterum, in nova edit. n. 25. de reſcript. Tiraq. l. Si nunquam, verb. Revertatur, n. 105. verſ. 36. Cod. de revocand. don.* Secundo, quia *cap. Super litteris, de reſcript.* dicitur nullum ex illis litteris commodum consequendum. At dictio, Nullus, ob negationem universalem in ea inclusam denotat ipso jure. Ut docent *Gl. cap. Ioannes, verb. Nullam, de elect.* & multis aliis citatis *Tiraquel. d. verb. Revertatur, num. 24. verſ. 76. fallit.* Et confirm. quia si litteræ valerent ipso jure, magnum commodum consequeretur impetrans, contra *d. cap. Super litteris*, decisionem.

76 At dicendum est, non vitiari litteras justitiæ ipso jure, sive quoad partem subreptitiam, sive quoad non subreptitiam, sed ope exceptionis utramque partem irritandam esse ratione illius dolosæ subreptionis. Ducor, quia *eod. c. Super litteris, de reſcript.* asseritur judicem datum in litteris his dolosis non posse cognoscere de causa sibi commissa, postquam sibi facta fuerit fides de impetrantis dolo. Ergo ante fidem sibi factam potest cognoscere; ac proinde processus antea factus erit validus. 2. Quia textus *ex cap. Super litteris*, ait in pœnam doli id rescriptum vitiari: cum tamen regulariter non vitiet ipso jure subreptio litteras justitiæ (ut n. 3. diximus) At pœna non incurritur ipso jure, nisi quando id expresse in jure statutum reperitur. Ut notatur *reg. In pœnis, de reg. jur. in 6.* Quod in hoc casu non reperitur expressum. Nam verba illa: Nullum commodum consequatur, & penitus careat impetratis, tantum volunt, ut nulla pars illius rescripti dolosi valeat, sed omnes partes penitus valore destituantur. Quare fateor dictiones has Penitus, & Nullus, importare ipso jure, quando non esset aliud in textu, cui applicarentur. At sic possunt applicari ad totalem rescripti annullationem, tam, scilicet, quoad partem subreptitiam, quam non subreptitiam. Ad quod confert doctrina *Tiraq. l. Si unquam, verb. Revertatur*, ubi cum *nu. 105.* retulisset multos dicentes dictionem, Penitus, importare ipso jure: ſtatim, *n. 108. verſ. Contrarium tamen*, refert multos alios dicentes non importare ipso jure: & ipse subdit hoc esse verum, quando subjecta materia suadet non importare ipso jure. Quod hic contingit, ne inducatur correctio textuum, quos n. 3. retulimus ad probandum litteras justitiæ non annullari ipso jure per subreptionem. Unde dum tex. *d. cap. Super litteris*, ait mendacem nullum ex litteris commodum consecuturum: & textus num. præced. allegati hunc penitus impetratis carere debere, intelliguntur non illico, sed postquam dolus oppositus fuerit, ac legitime probatus. Et ideo hanc partem tuentur *gl. d. c. Super litteris, ver. Nullatenus*, & ibi late *Berojus in 1. lectura n. 25. & 26.*

77 Sed major difficultas est, an dispensationes, & ceteræ gratiæ vitientur quoad utramque partem ipso jure, & in foro conscientiæ sint omnino irritæ, quando subreptio dolosa fuit circa alterius solam partis causam finalem; v. g. impetravit quis dispensationem in voto castitatis, & consanguinitate ad ducendam consanguineam, allegato vero incontinentiæ periculo, quod legitimam dispensandi in voto causam præbet, & falsa feminæ paupertate scienter, quæ est causa dispensandi in consanguinitate. Quæ dispensatio in totum vitiatur, juxta decisionem *d. c. Super litteris* (ut diximus n. 72.) dubitatur ergo an ipso jure, & in foro conscientiæ sit irrita, quoad partem eam in qua non fuit subreptitia, scilicet, quoad votum castitatis. Nam de parte subreptitia nullus dubitat. Et videtur nulla ipso jure, & in foro conscientiæ, nulla sent. judicis expectata. Quia litteræ gratiæ subreptitiæ sunt ipso jure in utroque foro irritæ, ut n. 3. probavi? At juxta *d. c. Super litteris*, subreptio dolosa in una parte dispensationis, reddit totam subreptitiam (Sicut enim dixi n. 54. ille textus loquens in litteris justitiæ, procedit a fortiori in litteris gratiæ) Tota ergo erit in utroque foro ipso jure irrita. Et confir. quia litteras justitiæ non ipso jure irritari in eo textu, inde contingit, quod hujusmodi litteræ non reddantur per subreptionem ipso jure nullæ. Ac perinde cum textus non exprimat pœnam nullitatis induci ipso jure, inducetur utique juxta earum naturam, quæ est, ut ope exceptionis irritari possint. At litteræ dispensationis, & gratiæ sunt ipso jure nullæ, quando subreptitiæ sunt. Ergo eo ipso quod textus decidit utramque partem fore subreptitiam, decidit consequenter utramque partem fore nullam ipso jure, & in foro conscientiæ. Tandem, quia si dicas hanc irritationem esse delicti pœnam (ut expresse dicitur *eo. c. Super litteris*) ac proinde sententiam judicis ad eam incurrendam desiderari. Obstat, quod hæc non sit pœna privans impetrantem re sibi jam acquisita. Quod propria pœnæ ratio petit, & ideo sententia judicis indiget. Sed solo lucro acquirendo privatur impetrans, idque vel voluntate concedentis, qui eam esse explicuit *d. c. Super litteris*, ut dolosus impetrans nullum ex iis litteris commodum consequatur. At pœnæ hujus generis nulla sententia indigent. Ut constat in pœna a testatore legatis adjecta.

78 At verius existimo, non irritari ipso jure, & in foro conscientiæ eam partem dispensationis, quæ vitio caruit, sed opus esse judicis declaratione. Ducor, quod textus *d. c. Super litteris*, non decidat ratione subreptionis dolosæ in altera gratiæ parte, reddi quoque alteram subreptitiam: ut vel sic per necessariam consequentiam deducatur, alteram partem fore ipso jure in utroque foro irritam. Sed tantum decidit debere impetrantem carere alterius partis commodo, quæ alias utilis erat; & non quomodocumque decidit debere eo commodo carere, sed in doli pœnam. Ergo non est cur ea irritatio sequatur naturam litterarum gratiæ subreptitiarum, sed debet sequi naturam pœnæ quæ est, ut non incurratur ipso jure, sed post judicis sententiam, ubi contrarium non invenitur expresse decisum in jure. Et confir. quia hoc jus est pœnale, & correctorium juris communis, juxta quod utile per inutile non vitiatur, quando commode separari possunt, *reg. Utile de reg. juris in 6.* Ergo potius est valde restringendum, ne ea pœna, & correctio censeatur inducta ipso jure. Secundo, quia hæc irritatio non est omnino rei nondum acquisitæ. Cum jus habeat impetrans, ut utilis pars dispensationis non vitietur per inutilem: idque in jure ipso Pontificio fundetur. Cum ergo in pœnam hoc jure privetur, desideratur aliqua judicis sententia. Tandem, quia si textus *d. c. Super litteris*, non irritat ipso jure litteras justitiæ sic obtentas (ut diximus n. 76.) de quibus expresse loquitur. Cur dicendum erit litteras gratiæ irritari ipso jure, cum de illis non loquatur is textus, sed per quamdam consequentiam, & extensionem Doctorum trahatur ad eas (ut diximus n. 54.) Nec obstat dicere naturam litterarum gratiæ subreptitiarum, quæ ipso jure sunt nullæ, id petere. Id enim faterer, si textus decideret alteram partem eodem subreptionis vitio affici, ex subreptione dolosa commissa in altera. At cum id non decidat, sed solum ex ea parte utili nullum commodum consequendum in doli pœnam, non rigidius hæc pœna accipienda erit in litteris gratiæ, quam in litteris justitiæ, quas non irritat ipso jure. Et ex his constat solutio ad argum. contraria nu. preced. adducta.

79 Tandem quia satis longa, & difficilior est disputatio: placuit eam summatim complecti. 1. Dico, tunc tantum esse subreptitia quecumque rescripta gratiæ, vel justitiæ, ex taciturnitate veri, quando tacetur veritas, quam jure expressis verbis declarari jubent: vel est talis, quæ intrinsece attinet ad dispensationem, estque causa finalis illius: quia ea veritate expressa, aut omnino denegaretur dispensatio, aut cum aliquo moderamine concederetur. 2. Dico, tunc similiter vitiari ex falsi expressione, quando contingit circa causam finalem, itaut ea falsitate non expressa, denegarentur litteræ aut iis esset moderamen adhibitum. Quod intelligendum est, quando plures causæ narrantur, & finalis est vera. Nam si una sola causa narretur, & ea falsa sit, qualiscumque sit illa, non valebit rescriptum. 3. Dico, si eæ litteræ motu proprio concedantur, valere non obstante subreptione veritatis tacitæ. Secus si esset subreptio falsitatis narratæ. Ultimo dico, quando falsi expressio aut veri taciturnitas contingit circa solam causam impulsivam, licet dolo contingat, in neutro foro vitiari litteras. Si autem sit circa causam finalem, sic distinguendum est, si est causa totius rescripti, totum vitiabitur, sive dolo sive ignoranter contingat. Si solius partis est causa, & altera pars est omnino separata, illa sola pars vitiabitur, in qua est subreptio etiam dolosa. Si autem partes conjunctionem quamdam habeant, separabilem tamen quoad valorem, tunc si ignoranter, idest non per fraudem & malitiam, subreptio admissa sit, valebit in utroque foro rescriptum, quoad solam partem in qua non fuit subreptio. Si vero per fraudem & malitiam, ea quoque pars vitiatur, & corruet, in qua non fuit subreptio; non tamen ipso jure, & in foro conscientiæ, ante judicis sententiam, sed post illam.

DIS-